

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2694

Auteur(s) : Hervieu [chevalier]

Auteur(s) : Foucault [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

Bénéficiaire(s) : Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : [1124-1137]

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Charte notice de l'accord intervenu entre les moines de Bellême et Hervieu et Foucault, chevaliers, au sujet d'un trait de dîme, à Dancé, et de la terre de Dourdoigne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 206, p. 198-199.

Dissertation critique

Datation proposée par Ph. Barret.

Texte établi d'après a

Notum fieri cupimus presentibus et futuris quod Herveus et Fulcodius, duo milites. tenebant de nobis et de monachis nostris Belismensibus tractum decime de Damceiaco et totum stramen ejusdem decime, et etiam quatuor sextarios frumenti habebant. Monachi autem nostri Belismenses calumniabantur eis quandam terram, que vocatur de Dordonia, conquerentes per violentiam et auxilium dominorum de Vilereto ipsam terram a prefatis duobus militibus injuste sibi auferri. Contigit ergo quadam vice ut dominus Guillelmus tunc temporis Majoris Monasterii prior in partes Belismenses pergeret, comitantibus eum duobus monachis Majoris Monasterii, Odone scilicet, fratre predicti Hervei, et Johanne Saraceno. Adiens ergo duos prefatos milites apud Damceiacum, et de tractu jam dicte decime sermonem cum eis conferens, tandem ad hunc usque in finem sermo utrorumque perductus est ut ipsi milites in manum ejusdem Guillelmi prioris dimitterent monachis tractum decime, et totum stramen, et quatuor frumenti sextarios. Hec itaque prefati milites monachis perpetuo jure deinceps possidenda concedentes, monachi e contra militibus ipsis prefatam terram de Dordonia, quam eis calumniabantur, perpetuo habendam concesserunt, ita tamen ut decimam ipsius terre monachi semper habeant, et terragium etiam ipsi milites et heredes ipsorum in grangiam semper faciant afferre monachorum.

Hujus rei testes : pater Guillelmus, prior, et monachi qui cum eo erant, Odo scilicet, sepefati frater Hervei, et Herveus senex, pater ipsius Hervei et Odonis, Johannes Saracenus, Evanus prior Belismensis, et Thomas, socius ejus. De laicis ex parte monachorum : Gauffredus de Curte Tealdi, Gaudinus famulus Guillelmi prioris, Bozardus

famulus Belismensis, Raimbertus Carpentarius. Ex parte Hervei et Fulcodii : Hugo dominus Vilereti, qui hoc ipsum concessit ; Hugo de Sisseio, Radulfus de Pereio, Paganus Trochetus, Popardus pellitarius, Herveus Cum-Barba et multi alii.

Post non multum autem temporis prefati duo milites in Capitulum Majoris Monasterii in festivitate hiemali venerunt et omnia superius prelibata, in manu domni Odonis abbatis, denuo dimiserunt, vidente et audiente omni Capitulo, presentibus etiam laïcis hominibus istis. Gauffrido, armigero ipsius Hervei, Petro Burdone, Petro Morani, Landrico, Bozardo famulo Belismii et aliis multis.